

**Dissertatio medica inauguralis de cachexia ... / Publicae eruditorum disquisitioni submittit Septimus Andreas Oppermannus.**

**Contributors**

Oppermann, Septimus Andreas.

**Publication/Creation**

Halae Magdeb : Literis Christ. Henckelii, Acad. Typogr, [1710]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/rpcfjmjhn>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE

# CACHEXIA,

Quam

DEO BENEDICENTE,

*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,*

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. PHILIPPO WILHELMO,**

PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE ET RELIQUA,

IN ALMA FRIDERICIANA,

*GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,*

SUB PRÆSIDIO

**DN. GEORGII ERNESTI STAHL,**

MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. FACULT. MEDIC. p. t. DECANI GRAVISSIMI,

*DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS, AC PROMOTORIS SUÆ ætatem devenerandi.*

*PRO LICENTIA*

Summisque in ARTE Medica, Honoribus, Juribus & Privilegiis Doctoralibus rite ac legitime capeffendis.

*D. April. MDCCX.*

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit.

**SEPTIMUS ANDREAS OPPERMANNUS,**

Marcobreith-Francus.

INSTITUTION OF THE UNIVERSITY OF

# JOHN ALEXANDER

Quint

PROFESSOR OF

PHYSIOLOGY

OF THE UNIVERSITY OF

EDINBURGH

SCOTLAND

1840

IN THE UNIVERSITY OF

EDINBURGH

1840

ON THE

PHYSIOLOGY OF THE

HEART

BY

JOHN ALEXANDER

ESQ.

M.D.

EDINBURGH

1840

Printed by James Ballantyne, Edinburgh



## PROOEMIUM.



Quantumvis primi animi impetus ita parum sint in nostra potestate, ut propterea ipsa æquitas postulet, tolerabili in hoc genere errori, aliquid condonare; cavendum tamen omnino venit, ne illiberali potius, quàm verè liberali indulgentia, licentia errandi introducatur, nedum constanti erroris grassationi ita porta veluti aperiat. In inventis jucundis, aut utilibus, in ampliores spes familiariter diffundi animum, quàm sæpe verus rei habitus permittat, familiarissimum est; nec invidet facile quisquam primæ alacritati: nemo autem posthac ita fovet hujusmodi conceptus, ut tanquam assensum præbeat, frustra fortè elatiori inde animo: nedum ut hujusmodi largâ spe, satisfieri sibi sinat quisquam creditor. Unde certè sana ratio hoc potius suadet, imò requirit, ut superatis primi animi tumultibus, magis magisque recepta tranquillitate, & ordinatis ponderationibus, tandem providè decernatur, quid propriè subsit inventis suis, & quem illa solidum usum & locum habere possint. Revocat nobis in mentem has considerationes, recordatio inventi proximæ ætatis, quod multis sermonibus & ansam præ-

A 2

buit,

buit, & materiam; *Circulationem sanguinis* intelligo. Quantum hoc inventum animos auxerit, ad contemnenda varia vetustatis placita, & imprimis illa eminentia, de sanguificationis organo & sede, de dignitate & usu cordis, de spirituum genesi, usu, imo existentia ipsa, etiam neminem fugit. Quanquam autem haecenus nihil impotenter gestum fuerit; insufficienter tamen investigatam, & non satis ac penitus excussam fuisse ita totam hanc rem, sed indulgeri passim ad huc ingentibus praedictis, quae cum vero habitu & usu *Circulationis sanguinis* subsistere nequam possint: ex adverso vero, è rectè intellecta illius potestate, non solum aliam veriore, sed etiam eo ipso solidis usibus aptam, habitudinem intellectui offerant, passim etiam abundè dilucescit, & certum prorsus atque firmum est. Exemplum ejus rei praecipuum, & verè supremum, est non retenta solum, sed miris modis etiam exornata, & exasciata opinio de *Cacochymia*, seu *Craeseos* humorum depravatione, non solum multifaria, & numerosorum quasi schematum; sed etiam insuper, à *circulationis sanguinis* negotio universo, res suas ita discretas habente, ut illae, hujus intuitu, veluti nullam considerationem, aut ullum directum nexum habere, intelligi debeant, nisi à *Cacochymia* ad *circulationem*, vix autem ulla ratione vicissim. Id quod quidem etiam, si vera esset illa multiformis *Cacochymia*, satis certum esse posset; quod nempe ad tot & tam varias *craeseos* humorum depravationes, *circulationis sanguinis* vix ulla culpa concurrere, aut intercedere possit. Quia vero haec res, omnem bonam spem frustratur, tum *Pathologicarum*, tum consequenter *Therapeuticarum*, intentionum; optandum certè esset, imò annitendum, ut defectus illi compensentur atque sarcian-

ciantur: id quod alia meliore, imò & planiore, viâ, nunquam fieri poterit, quàm si verè æstimetur, habitus circulationis, ejusque mechanicæ efficacix, ad crasin humorum depravandam, quantumlibet paucioribus primariis schematibus: hæc ipsa verò sic enata corruptelarum genera, non magis possint per luculentam verisimilitudinem, quàm, etiam soleant, sufficere, manifestâ experientiâ teste, ad longè plurimos, & imprimis præcipuos, ejusmodi morbidos eventus, qui deinde, juxtâ inutiliter, & in præjudicium veri usus circulationis sanguinis, aliunde petitis ejusmodi craseos vitiis attribuuntur: Cum insuper etiam multa ejusmodi pathemata, longè certius, & prudenti æstimationi evidentius, potius simplicibus impedimentis legitimi liberi progressus, & nominatim quidem Quantitatis potius, quàm Qualitatis humorum intuitu, in acceptis ferri deberent. Erit autem occasio aliqua de his rebus ulterius judicandi, sub contemplatione CACHEXIÆ, quàm pro THEMATE INAUGURALI enucleandam præ manibus habemus. Quod ipsum proinde cœptum, ut benignissimo suo præsidio secundet Divina Benedictio, est, quod ab illa supplices exoramus.

I.

**C**A CHEXIA, ut è vocabulorum notâ significatione patet, *depravationem habitus, seu ambitus corporis* denotat. Quando nempe *habitus corporis, in visibilibus* sui affectionibus, *consistentiâ, & colore: tactu* etiam dignoscendis, *firmitudine, & calore:* quin ipsi ægro maximè percipiendis, *vigore atque robore,* ita labefactatur, ut *consistentia, præter solitum turgida, & subtumida; color, pallidus, flavescens, livescens:* firmior

aliàs *densitas* carniùm, maxime verò *cutis*, jam *laxa*, *flaccida*, aut planè tandem hinc inde *vestigia* digitorum impressorum diutius retinens: & totum Corpus magis frigidum, quàm vitali calore decenter affectum, deprehendatur: Æger autem ipse, *lassitudinem*, *gravitatem*, *languores*, *fastidia*, *pigrityam* tandem & *animi tædia*, *somnolentiam*, *sensuum* & *cogitationum* aliquam velut *hebetudinem* oborientem, persentiscat. Adeoque circà totam *habitus* corporis *externi*, *texturam* & *energiam*, multiplicia sensibilia incommoda, & impotentias atque inusitatas mutationes experiatur.

II.

Cum autem ita per habitum externum, in primum statim adspèctum incurrentem, dispersa sint hæc vitia; ad dignotionem quidem eorundem, nullâ æquè opus esse videtur peculiari solertiâ, aut multâ quasi judicatione: Interim tamen subest omninò adhuc illa cautio, ut pro agnoscendâ *verâ* Cachexiâ, benè examinetur constans *duratio*, plus minus *equalis*, dictorum talium accidentium. Cum enim Cachexia, *strictâ* acceptione, non solum per *habitus* corporis diffusum, sed ipsius habitus, in ejus *substantia* ipsâ hærens, & insinuatum, sit vitium; manifestum utique est, quod illud nec tam ex improvviso oriri, nec ita *evanidam* atque transitoriam *durationem* formare, neque *errabundam* quasi talem alterationem, corpori imprimere possit, ut illud hodie malè affectum, cras iterum liberum, & ita *vagis* motibus fluctuans, spectari hinc possit; sed potius, & paulo languidiùs, certè sensibilibus successibus, oriatur, & pertinaciùs deinde insistat. Ubi, licet minime negandum sit, dari omninò hujusmodi diversos *gradus*, quin etiam *successus*, Cachecticæ dispositionis: *strictâ* tamen acceptione nominis, & propriè usitatâ, nihil æquè aliud hoc nomine notari propriè debet, nisi ejusmodi constitutio, ubi penitus invasit atque *obsidet* ipsum corporis *habitus*, *κἀνωσις* illa, adeoque etiam pertinaciùs eundem occupat atque *detinet*, quàm ut temerè accedere, aut recedere, & iterum recurrere, valeat. Ita enim v. gr. non est æquè rarum, in tene-

*rioribus* imprimis adhuc corporibus, minoris ætatis, à *scabiæ* inconsultò suppressâ, cooriri *inflationem* ambitus corporis etiam totius, non *turgidam* solum, sed *tumidam* tandem; sumere etiam ita repentina incrementa, ut subinde vel unius, aut alterius diei morâ, totum corpus pervadat. Interim, uti hæc magis est interstitiorum, seu *pororum*, quàm ipsius *substantiæ* fibrarum, affectio; *distendens* magis, seu *inflans*, quàm ipsam fibrarum substantiam turgefaciens, eique insinuata: non meretur proinde pro vera *Cachectica* constitutione agnosci.

III.

Unde quidem constituisse hoc suffecerit, quod utique *veræ* Cachexiæ nomine, intelligi debeat hujusmodi affectus, qui verè penitiùs totum *habitum* pervaserit, & *stabiliore* veluti radices egerit. Unde etiam illi valde propinquum est, ut penitus ipsam *hydropicam* contumaciam post sese trahat: non quidem æque *universalem*, quam *Anasarcam* vocant: sed tamen *partialem inferioris* corporis regionis. Quibus quidem respectibus locum habebit distinctio, (pro discretis locutionibus,) inter quamcunque *dispositionem* Cachecticam, & *veram* Cachexiam: seu eminentem gradum, & qualiacunque hujus adhuc solum rudimenta. Germani nostri innuunt diversitatem talium constitutionum, illis imprimis formulis, die Person seye nicht recht gesund / seye ungesund aus / habe keine gute Farbe / seye immer so zerdossen / oder zerdunsel; nempe dunstig / tanquam *inflatione* aliqua à turgido *habitu*: quale quid imprimis magis conspiciendum se exhibet *matutino* tempore, post somnum; ubi ambitus *oculorum* turgere primò, deinde *staccida* quadam laxitate pendere, & quasi fluere videtur. Quando vero ita stabilem jam nacta est hujusmodi constitutio constantiam, ut pertinaciùs insistere patienti sentiantur, *turgida* illa, cum malo *colore*, aut vario atque vago, *inflatione*, judicant passim, es seye keine rechte / oder gesunde Settigkeit mit dem Patienten / keine gesunde / oder natürliche Farbe / seye nur ein aufgeschwemmetes / bläßtiges / oder dunstiges Wesen: & ominantur hinc ferè communiter *hydropicos* successus & **IV.**



IV.

Et in his quidem sita est constitutio *Cachexiæ* magis, ut scholæ loqvuntur, *formaliter* spectatæ. Ratione vero *subjectorum*, quibus imprimis impendet, & innidulatur, venit observanda *triplex* imprimis differentia; intimiorem talium *subjectorum* conditionem atque habitum ad hos eventus, circumscribens. Ubi nempe, *primò*, in considerationem venit sic dictum *Temperamentum*; seu *habitus corporis ad crasim humorum*; & consequenter etiam *craseos* hujus ipsius *humorum*, diversitas, mox tamen multum reciprocæ efficacix, cum peculiari *habitus* corporis ratione, partim fovens, partim sequens. *Secundum* locum occupat meritò *Ætas*: utpote notabilem utique differentiam hic inferens. *Tertium* autem ordinem, vindicat sibi *Sexus*; ferè tamen cum aliquo reciproco concursu *ætatis*: ita, ut alia ætate magis hic, alia magis alter *sexus*, huic affectui expositus observetur.

V.

His respectibus, subjacet magis *Cachecticæ* intemperiei sic dictum *Temperamentum Phlegmaticum*; & post hoc, sanguineum; & quæ de his plus *participant*: minimum omnium autem *Melancholicum*, in vera tali constitutione. *Secundò* respectu, non cadit æquè facilè, *vera Cachexia*, in *teneriores* adhuc *ætates*. Sed capeffit initia sui, ad summum, à *pubertatis* tempore, in *scæminis*: magis autem impendet *consistenti* demum, aut planè *senescenti* ætati, in *Viris*. Quantum ad *tertium*, longè citius, & familiarius, evenit *Cachexia scæminino* sexui, quam *virili*; imprimis autem magis adhuc intra periodum *successus menstruarum* evacuationum; *Viris* autem, per tempora pertinacius molientis *hæmorrhoidalis* eruptionis. Omnibus modis autem, certò nimio *familiarior* est *Cachexia scæminis*, quàm *viris*.

VI.

Sub his omnibus tamen rebus, minime negligendam esse reputamus etiam illam considerationem, quam non postremi momenti esse, tam circà *veram historiam clinicam*, quam inde spe-

sperandam etiam veriore Pathologiam asseveramus; Nempe respectûs, *facilioris* atque *familiarioris*; aut contra, *minùs prompti* atque proni, eventûs. Nempe, uti jam dudum peculiari scripto commonefacere suscepit D. D. Præses, meretur omni modo tranquillioem, atque solertioem pensitationem, constitutio illa humanæ Oeconomix, in respectu ad subeundas ægri tudines; dum non solum in genere, verè æstimo, minimè ita pronum & propensum, (ipso facti eventu teste,) judicari potest esse corpus, ad frequentes incursum morborum, tanquam temerè admittendos aut tolerandos: quin potius, rem vel mediocri animi adersione dijudicando, minimè ita frequens ipsi incumbat morborum invasio, uti quidem de reliquo manifesta ejus *dispositio* & *habilitas*, seu, ut vulgo loquuntur, *receptivitas materiæ*, promittere videretur. Talis autem certè, *Frequentix* respectus, habet locum in nostræ quoque considerationis affectu; ubi nempe *duplici* modo se exerit. *Primò*, quod, *in genere*, adeo planè *sapè* & familiariter, nequaquam se se exerat, uti quidem per *generatioris* vulgo usitatos respectus & intuitus, expectari debere videri posset. Deinde, nec etiam per reliquas conditiones alias, huic eventui faventes, adeo æquè familiaris adhuc est, seu *frequens* hujus affectus eventus, quin etiam hac ipsâ ratione, non aliter, nisi satis *contumacibus*, & *eminentibus* magis, quàm evidentibus, *causis* prægressis, quasi non sine *tergiversatione* aliqua, succedat, ut etiam satis languidè ad *auxilium* suam procedere, aut pervenire, sentiat.

VII.

*Differentia Cachexiæ verioris*, ab aliis, qui quodammodo cum illa confundi possent, affectibus, consistit in *duobus* imprimis. *Primò*, quod Cachexia, *totum corpus* afficiat; & evidenter quidem ipsam etiam *faciem* ejusque *habitum*; cum *Ascitico-hydricus* affectus, nimio plus obsideat *inferiores* solum partes, ultrà omnem proportionem cum *superioribus*. *Secundò*, quod in *Cachexia*, illa, universum habitum corporis obsidens, *subturgida inflatio*, gradu plurimum differat ab *Ana-*

*sarcâ* hydrope; qui corpus eximio, & ad *duritiem* usque, tactui renitentem, & impressas *foveas* servantem, inflat. Si quidem in *cachexia* verâ, *mollicula* omnino sentitur constituto, & *flaccidæ* laxitati, quàm *tumori*, similior. Unde etiam nequaquam de *essentia* Cachexiæ est, in ulla parte corporis verum *œdematosum tumorem* ostendere; Quantumlibet in *pedibus*, ad minimum *infimis*, satis facilè & familiariter aliquid simile intercurrat magis, quàm, *necessariò* & *constanter*, concurrat. Esse autem Cachexiam *pronam* satis & proclivem, ad introducendam etiam *hydropicam* constitutionem, *Asciticam* nempe, est equidem certum; neque tamen hoc ipsum etiam eâdem facilitate, in admodum adhuc junioribus, & tempori *pubertatis* adhuc propinquioribus, quàm in *juvenili* jam ætate: Nempe in *fœminino* sexu. Cui interim, jam multum *annosiori*, & *menstrualia* tempora longiùs *prætergresso*, longè minùs promptè *Cachexia* occurrit, sed certius mox, & velut immediatè, *Ascites* hydrops. Si quid etiam *Cachexiæ*, simile, hic accidit, transit illud longè certius in *Hydropem*, quàm in *juniore* ætate. Viris saltem, uti tunc maximè demum *Cachectica* constitutio impendet, quando anni notabiliùs augefcunt; ita vix evenit his, quantumcunque languidioribus successibus, *Ascites*, quin illa *Cachectica* constitutio per totum habitum corporis, præcedat: Et est etiam reverà pronior in *hydropem*, qualiscunque ejusmodi *cachectica* constituo, in hujusmodi *viris* comparens, quàm ut simplicem subsistentiam intra hos cancellos, ut *cachexia*, pariter fervet ac retineat.

VIII.

Satis autem distinguit *cachexiam* ab *Ictero*, (nempe etiam totum habitum quasi, afficiente,) non solum usus *nominum* distinctorum; sed reverà etiam *rei* ipsius diversitas, in eò, quod *Icterus*, non tam ipsam veluti *substantiam* habitus corporis subintret, seu penetret, quàm solum superficietenùs, *fibrosæ* substantiæ affricetur: *Cachectica* verò intemperies, magis ita *insinuari* intimiùs appareat, ut etiam velut *imbibita* intimæ substantiæ *fibrosæ* texturæ, illam ita *turgesfaciat*, quod

Germani voculis usitatis, eingequöllt/ und aufgequöllt/ denotare  
sueverunt.

IX.

Pro explendâ verò totâ Cachexiæ *historiâ*, est utique ad-  
huc adjiciendum duplex phænomenon, alterum in *Pulsu*,  
alterum in *Urina*. *Pulsus*, *simplicius* adhuc Cachecticis,  
*tardus* est; imprimis autem *varior*, quàm sanam *alacritatem*  
deceat. Quin etiam *languidior*, seu *debilior*, aut certè *minor*,  
quàm *vegetæ* sanitati quadret. *Urina* verò, *parcior*, omni  
modo verò *tenuior*, quàm decebat: *inconstante* quoque modo  
atque more, jam *cruda*, & subturbida, jam *limpidior*: semper  
tamen *pallida*, aut aliquando *sublivida*. Prætereà, *sanguis*,  
undecunque in conspectum procedens, tum aliàs *pallidior*:  
tùm, si aliqua ejus quantitas notabilis colligi possit, multâ *sero-  
sitate* abundans.

X.

Si jam ab hâc *historiâ*, *morum* & *signorum* cachexiæ, pro-  
gressum faciamus ad considerationem CAUSARUM; uti-  
lissimum antè omnia fore ducimus, si ibi quoque, primo loco,  
respiciamus, ad ipsam *causarum*, ut usitatus occurrentium,  
imò potius certarum & indubiarum, in simplici Cachexiâ,  
ipsam *historiam*. Ubi nempe meritò præferenda semper pu-  
tamus ea, quæ qualemcunque *causalem* habitum, tanquam ex  
confesso, præ se ferentia, certò *prestò* sunt; & certius, *reci-  
procè*, cachecticam *societatem* servant atque fovent: Quàm ut  
*remotioribus*, aut per *Theoreticam* demum explicationem  
assequendis, propioribus causalibus energiis, mox incumba-  
mus. Inter hujusmodi verò causas, quæ vel statim ab ipsis  
patientibus memorantur tanquam *historicè*, in *fæminino* im-  
primis sexu, certissima sunt, *Evacuationis* menstruæ vitia;  
communissimè quidem in *defectu*: rariùs in vehementi *ex-  
cessu*, & *profusis fluxibus*, prægressis, aut intercurrentibus:  
*Consistentia* vero sanguinis, vel præter modum *spissa*, vel et-  
tiam excessivè *aquosa*, cum rubicundo interim, sanguine *stri-  
ctè* dicto, non benè *subacta*: unde serosior illa portio, faci-

liorem secessum, sub *excretionibus* per tenues meatus, ostendere, & subire solet. In *Viris* autem, rarius ferè spontè memoratur, sed expectat communiùs *questiones*, *triplex* propemodum *prægressa causa*, aut illarum *una*, imò & *altera*. Nempe, *fluxus hæmorrhoidalis* prægressi, aut manifestiùs animadversi, *deficiens* posthàc, successus; aut, *nimius*, & *præsertim* continuus: Maximè verò, sub omnis generis putatitiis *artificiis*, illi adhibitis. *Secundò*, sub quantumcunque elucescentibus *apparatibus*, & *conaminibus* hæmorrhoidalibus, per *lumbos*, *os sacrum*, *coxendices*; præcipuè verò etiam *intus* in abdomine sensiles, *Hypochondriaco-Colico-flatulentos* atque *spasticos* motus, aut concursus, obortis demum *Arthritico-podagricis* doloribus: quos, in talibus corporis constitutionibus, vel inchoët, vel comitetur, vel iis superveniat, aliquid *intumescentiæ*: unde recentior illa speculatio de *Rheumatismo*, *Arthritidi* verè & plenè *contradistincto*, aditum inveniat, & novarum opinionum medicamenta persuadeat. Aut alia hujusmodi recentiorum opinionum *artificia* adhibita, *podagrigo-Arthriticos* ejusmodi affectus, equidem *opprimant*; interim autem *retrocessionem* potius universorum talium conisuum, *ad interiora*, post se trahant: adeoque *Podagra* temerè *repressa*, vera *prægressa causa* subsequenti talis *cachectico-hydrica* intemperiei, interrogando detegatur. *Tertiò*, ingens *Intemperantia*, tum *vinosæ ebriositatis*, tum è *spirituosis* destillatis, usitata. Qualem imprimis ultimam, sub conjuncta vitâ valde deside, etiam non ita infrequentibus exemplis, *profusiones* quasi *hæmorrhoidales*, per *alvum*, valde immoderatae, vel etiam *hæmoptycæ*, tandem adhuc stipare fuerunt. Maximè omnium autem, nempe ante omnia in *fæminino* sexu, deprehenditur, *conspiratio* hæc cachexiæ cum prægressis & conjunctis vitiis consuetarum *evacuationum sanguinis*.

XI.

Quàmvis autem apparere alicui posset, quasi hujusmodi vitia *excretionis sanguinis*, magis *comitari* possint Cachexiam, quàm

quàm illi *complicari*; ita, ut ab iisdem causis, nempe *craseos* humorum depravatione, à quâ per totum corpus *Cachexia* inducatur, in parte etiam corporis, nempe *uteri* meatibus, exitus impedimentum *oriatur*: adeoque deficiens successus mensium, potius *effectus* rationem habeat, velut à *communi* illa causa, quàm ut ipse quoque in ordinem *causarum* venire, & ad *cachexiam*, ut *effectum*, conspirare & juvare posset. Est tamen hic etiam tantò magis iterum in subsidium vocanda, vera harum rerum *historia*; è quâ dilucescit, quod, quantumcunque etiam reliquæ causæ, & imprimis *Intemperies* humorum *phlegmatica*, præcedant æque, atque concurrant, (exceptò unò casu, sed tamen neque ipsò ita simpliciter, enormis *profusionis* sanguinis) quamdiu ibi adhuc, ordinatus & sufficiens progressus actualium *exonerationum* sanguinis perennat, tam diu nulla *vera Cachexia* radices agere, aut invalescere soleat. Et, quamlibet hic etiam insistere fortè liberet, supponendo, quod hujusmodi *suppressio*, propriè etiam pendere possit, à tali demum gradu corruptionis humorum *Cachectica*, qui, ut reliquæ *Cachexiæ* inducendæ, ita etiam huic *suppressioni* producendæ, quadrare possit: Refellit tamen talem opinionem, *primò*, proventus & eventus *Cachectica* hujusmodi constitutionis, & *præviæ* suppressionis menstruarum evacuationum, etiam in talibus, quæ nullam probabilem, nedum evidentem, dispositionem ejusmodi *cacochymicam* usquàm ostendunt, sed potius satis *floridam* sanguinis temperiem, & habitum sic dictum *sanguineum* satis sincerum, possident: & quidem prætereà, *secundò*, etiam eâ satis sæpe ratione, ut eorumque, satis sincerâ *sanitate* potitæ, *largo* præsertim *fluxui* adsvetæ, & ab *externis accidentalibus* causis in evacuationis talis repentinum atque pertinacem *defectum* prolapsæ, inde mox, *conspicuis* quasi, certè satis *promptis*, progressibus & successibus, in *Cachecticam*, imò vel *hydropico-ædematosam*, labem, reverà demum procedant: & ita satis manifestum reddant, quod debitis *ventilationibus* sanguinis deficientibus, defectus etiam legitimæ *craseos* humorum æque, atque *motus*

eorundem *depuratorii*, vestigia legere, adeoque tandem etiam simplicis progressûs atque transitûs *colatorii*, vitia introducere possit.

XII.

Id, quod etiam tantò manifestiùs elucescit, è *virorum hæmorrhoidariorum* pari infortunio, si ipsis *fluxus* consuetus, temerè *supprimatur*. Ubi certè nota satis, imò nimium, sunt exempla talia, ubi à *perturbatis*, aut planè *oppressis* hæmorrhoidibus, in aliis *cachectici*, in aliis *hydropici*, per habitum corporis, *infarctus*, aut tumores, aliquando etiam satis citò, & præsentaneò quasi eventu, succedunt.

XIII.

Interim, ne illis etiam adstipulemur, qui *simpliciter* ab evacuatione sanguinis *menstrui*, aut *hæmorrhoidalis*, inhibita, depravationem talem humoribus immanere putant; eò sensu, quod peculiaris quædam *malitia*, in ipso hoc sanguine latens, in humoribus ita restitet, quando sanguis *hic specialissimus* retinetur; adeoque hòc ipsò, tam suam *corruptelam* retineat, quàm eandem latius etiam, per totam humorum massam, ita diffundat, ut illi quoque in similem labem prolabantur: Revocat inquam nos ab assensu tali, imprimis illud, quod numerosa etiam exempla indies occurrant, *suppressione & emanatione* mensium satis diuturnâ laborantium, quibus neque *Cachectica* talis, nec ulla ferè alia insignis, labes sanitatis suæ hinc obtingat; Manifestò verò illis solùm hujusmodi eventus ingruant, quibus manifestæ *contentiones*, ad *eruptionem* quidem impellentes, sed exitum non assequentes, multum negotii fecerunt. Nominatim, multæ *contentiones*, non tam simpliciter *oppressivæ*, aut *oppletivæ*; quàm evidentius *spasticæ*, circa *hypochondria & præcordia*. Quorsum referenda maximè venit, tanto promptior omnium hujusmodi eventuum *ἐνέργεια*, atque adeo etiam certitudo, quando per remedia, exitus sanguinis importuniùs *impellentia*, anxie tales *contentiones* immodestiùs incitatae, tanquam præcipitibus progressibus in hujusmodi eventus patientes conjiciunt. Cum, ex adverso, qui-

quibus intra solas *oppletiones*, ut à *motu fortiore*, aut *scalarum colliumue adscensu*, incommoda hæc subsistunt, iis longè diutius, intrà valde tolerabilem constitutionem omnia subsistant; præsertim si, quantum fieri potest, *agiliori vitæ rationi* potius, quàm *sedentariæ vitæ*, operam navant.

XIV.

Ut itaque progressum faciamus, ad veriore*m causandi*, & *fiendi* rationem, quatenùs illa veritati Phænomenorum proprius respondet atque congruit; agnoscimus utique pro communissima, ordine *primâ*, *Causa cachexiæ*, *contentionem* sanguinis, seu *coacervationem* ejus *congestoriam*, circa *Venam Portæ*, *Hepar*, *Glandulas Mesaraicas & Intestinales*, imò ipsum etiam *Lienem*. Unde tandem, tam *Hepatis*, quàm *Glandularum* reliquarum, ejusmodi *obstipationes* subsequantur, quæ liberam *secretionem* atque *sequestrationem*, *Seri*, à *Lymphâ* puriore, impediunt atque pervertant. Unde hæc, cum *Sero* perpetuò remixta, magis magisque *lentorem* quendam contrahat, & vicissim ipsum quoque *serum* ita *inspisset*, ut hoc inde ad debitam suam *penetrationem* per subtilissimos meatus, pro *excretionem* sui tempestitiva per varia arctiora colatoria, ineptum evadat, & potius intra eadem loca, colatoria atque excretoria, per contractam illam suam *spissitudinem*, restagnans, tam *floridioris* sanguinis penitiori aditui ita obsistat, quàm etiam *fibras* partium, sensim ita intimè penetret, iisque se insinuet, ut inde harum *remollitio*, *emaceratoria* quasi *turgescencia*, (*auffquöllen*) & eo ipso, *mollis relaxatio*, quin magis magisque, à *turgidis* fibrillis, sibi ita mutuò spissius *accumbentibus*, & per interstitia sua, aditus atque transitus, obstipando intercipientibus, ulterior liberi *transitus* æque, atque EXI-TUS, *serosarum excretionum* impedimenta hinc nascantur.

XV.

Hujusmodi verò *congestoriæ* stagnationis per *Hypochondria*, seu potius *Venam Portæ*, rationem, tribuimus præcipuè *intentionibus*, sanguinis aliquam *evacuatoriam*, (ut in foemina per *Uterum*, ita in Viris per *Hæmorrhoides*) obstinatis *congestio-*



gestionibus, *perruptionem* tandem obtinendam, respicientibus. Quæ interim, quando à *Sanguinis spissitudine* simpliciore, aut aliquando, per alias *morbidas* prægressas causas, introductum *viarum* coarctatarum nimium, vitium, *exitum* non assequitur; oriuntur interea, eò ordine, atque modò, quem delineavimus, mala hujusmodi *stagnationis*, atque *detentionis*, imò *pressionis* atque *contentionis*, consecutaria, in meatus subtilissimorum colatoriorum glanduliformium ita redundantia, ut, secundum indicatum ordinem, ulteriorum malorum proventum ita absolvant.

XVI.

Sicut autem intentiores *destinationes* ad evacuationes sanguinis *sinceras*, omninò ad effectum deducendas, adeoque etiam pertinaciores *contentiones* in eundem finem institutas atque prosequendas, nulla certior, & tam rationi, quàm quotidianæ experientiæ magis consona, solet, imò potest, esse *causa*, quàm *Abundantia* ejusdem, primo loco; *Adsuetudo* verò quoque imminutionum sanguinis ita *abundantis*, secundo loco. Ita est certè *consistentiæ* quoque sanguinis, dico, sanguinis *strictè* dicti, simpliciter *spissescens*, atque *densitatem* peculiarem incurrentis, nulla neque simplicior, neque certior, & verè *mechanicis* fiendi modis & successibus, evidentius insistentis, *causa*, quàm eadem ipsa *Abundantia*. Cum enim sanguinis, tanquam substantiæ, de tota humorum massâ plurimum spissæ, perpetua *justa attenuatio*, & cum *diluyente* aquosiore feri parte, intimior *subagitatio*, verà mechanicâ ratione innitatur, *Motui* ejus *transpulso*, per spongiosam constitutionem partium corporis solidarum; hujus autem progressus satis *liber*, atque adeò *vividus* vegetusque successus, mechanicâ certè ratione atque proportione, *præpediatur* æquè nimia *oppletione* viarum, atque *prægravetur*, dum ipsa etiam *vis impulsus*, quantitate *molis* atque *ponderis* æquè, atque *impliciti* illius, & *semi stipati* progressus, ita utique retunditur, atque mora aliqua ipsi objicitur: ut etiam hâc ipsâ ratione *lentiùs* & *languidiùs*, imò *debiliùs*, progressus, *debitus* impellatur.

tur. Sequitur hinc certè, evidente penitus processu, ita constitutæ abundantia *quantitatis* incommodos effectus, major *Spissescencia* ipsius *Massæ sanguinis*. Cum hæc verò, si deinde per exitus *arctiores* perrumpere tamen obstinatè insistat consuetus *conatus*, prognasci inde deteriora illa producta in tenuissimis colatoriis, satis liquere posse arbitror.

XVII.

Cæterùm ultimam, veluti *formalem Cachexiæ* causam, (quam constituimus, *remollitionem* illam, tanquam intimiùs *combibita* aqueæ humiditati tribuendam, quæ à lentioris rediti feri assiduâ *restagnatione*, vividioris autem *sanguinis*, longiùs distento aditu, pendeat,) cõ ordine, quem ita deduximus, tandem progigni, speramus nihilo majore difficultate intellectui dilucescere posse. Illud autem revera adhuc altiore considerationem ad se revocat, quomodo sub tali harum rerum constitutione, tamen sic satis *rarus* sit affectus, ipsa *Cachexia*. Est tamen hic etiam minimè ita simpliciter abstrusa ratio, dum utique reliqua *Oeconomix* vitalis *activitas*, quamplurimum repugnat hujusmodi eventibus & effectibus, per quantumcunque *vegetiores* reliquarum secretionum & excretionum concursus & subsidia: eòsque ad minimum, ut veram consummatam sui magnitudinem assequi, non valeat. Nempe, nisi in *casibus* certis, & in se non ita quotidianis, & ipsis etiam, nisi *eminenti* concursu, non statim universo negotio satisficientibus. Cujusmodi nempe sunt, *intemperies* Individui maximè *Phlegmatico-Pituitosi*; cum victus etiam ratione, quotidianis incrementis subministrandis plurimum idorea: *Vitæ* ratio planè deses & ignava: *Tempus*, & *Locus*, humido frigori quàm maximè exposita: *Excretionum* etiam reliquarum, præter *spontaneam* inertiam, neglectus: tandem nimis paucus, aut nimis aquosus, aut cruditate molestus, frigidus *Potus*; aut *spirituosorum* ardentium immoderatio usus: *Animi* etiam inertix conspirans, indulgentia *somnolentæ* pigritie; aut eximius profundus *mæror*. Ante omnia verò, *consuetarum largiorum*, aut optimè tamen ordinatarum *sanguinea-*

nearum *exonerationum*, tam *Uterinarum*, quam *Hæmorrhoidali-um*, suppressio; imò *represio* repentina, & ipsis internis magis directis *contentionibus*, vim veram faciens: Impediunt potentiùs *transitibus* & *exitibus*, intempestivæ *turgesfactorie* humorum commotiones, per medicamenta acriùs *expandentia*, & *impellentia*; imò vel simul *exitus* potius cohibentia, (in quem numerum collocamus præcipuè *Salia volatilia urinosa*, & tantò magis, aromaticis acribus *oleis* infecta,) Cujus rei specimen etiam existit in acutis *Rheumaticis* febribus, quæ è multo & longo usu *volatilium* urinosorum, familiarissimè post se trahunt *œdematosos* tumores pedum; sensim ad *Leucophlegmaticam* usque, nedum *Cachecticam* inflationem etiam reliqui corporis, sese diffundentes. Talibus, inquam, præcipuè casibus, & tandem ætatis etiam *senilis* majore inertia, eveniunt ut plurimum *Cachexiæ*; & eâ quidem talium rerum efficaciam, imprimis autem *socio* plurium concursu, ac citrà tales, valdè *rardò* aliquid pleniùs constanter perficiatur. Unde nempe *ravioris* hujusmodi eventus ratio utique peti meretur.

XVIII.

Minimè verò etiam silentio præterire licet, illam *Cachecticam* constitutionem, quæ è multâ, imprimis autem longâ, *profusione* sincerioris sanguinis, ortum suum ducit. Cujus nempe etiam ipsius, haud æquè difficilem reputare possumus fiendi rationem, seu *γένεσιν*, si ad animum revocentur *duæ* illæ fatis luculentæ circumstantiæ: nempe (I) post magnas profusiones, succedens *subsidentia* quædam illorum *viscerum*, quæ innumerabili multitudine atque copia, sanguiferarum ramificationum, visceribus densioribus intertexta, expletur, ut Hepar ante omnia; dum repentinâ ejusmodi inanitione, necessariò subsidentibus vasibus arctiùs connivent; & tantò magis, si hoc longis successibus continuantium hujusmodi profusionum diutius, imò magis magisque ita fiat atque vigeat. Ita enim arctantur tandem nimium, densatâ sensim, per ralem *subsidentiam*, reliquâ totius visceris substantiâ, unde debitis usibus secretoriis

plus plusquè decedit. Qualis quidem res tantò luculentius æquè, atque præsentius, sese exerit, in alibi jam notata à D.D. Præfide *Cachectico-Ascitica* successione, post insignes *hæmorrhagias*, multò usu *Adstringentium* cohibitas. Cum aliàs in numerosissimis exemplis, tantundem profusionis passorum subjectorum, sed citrà *Adstringentia* talia ad se reverforum, nullas hujusmodi consecutiones incurrentium, satis intelligi possit & agnosci, quid culpæ ejusmodi, in penitiorum *Tonum* viscerum redundans *adstrictoria* efficacia, hic sustinere possit.

XIX.

*Altera* autem *causalis* efficacia in his generibus, imputatur non immeritò, etiam reverà peiori sanguinis novi *reparationi*. Ubi scilicet quilibet, non solùm experienciã talium rerum potitus, sed etiam animi debitã attentione uti adsvetus, facilè utique intelliget, quod illa subjecta, quæ post eximias profusiones sanguinis, *moderatis* diæteticis restauratioribus utuntur, parcius procedendo, sed tamen & nutritioni præsentius obsequentes, & condimentis moderatis benè instructos, adeoque bono *floridoque* sanguini reparando, propius idoneos, *cibos* atque *potus*, *quantitate* æquè, atque *qualitate* laudabili, usurpant: simul etiam, & moderato *calore*, nulliusque *excretionis* debitæ neglectu, sibi prospicere cordi habent: quod inquam, tales patientes, à *cachectico-hydropicis* successibus, satis tuti atque immunes maneant. Dum, ex adverso, tum è *crudioribus* cibis, tum congenere potu, conniventibus prætereà *secretoriis* organis, diutiùs in corpore, & imprimis Mafsâ sanguineâ, oberrans *crudior* chylus, potest utique evidente facilitate ita partim subire, & reciprocè producere, *mucidam* illam corruptelam serosam atque lymphalem: partim etiam bonam frugem conversionis sui ipsius, in *laudabilem lympham*, & consequenter *sanguinem*, ita destituere atque fallere, ut inde parum *boni* sanguinis, multum autem *serosæ*, etiam statim ita *adventitiæ*, Heterogeneitatis, subnasci possit, & proinde etiam, docente experienciã, soleat.

Habet autem hæc consideratio ulteriorem usum exquisitum, pro intelligenda etiam illa consecutione, progressus, ut loquuntur, Geometrici, semel conceptæ hujusmodi intemperiei *serosæ* in sanguine; jacto semel solidiore quasi, atque firmiore fundamento dispositionis *Cachecticæ*. Dum videlicet, utique, graviter impedita atque depravata iusta & libera *deputatio lymphæ nutritiæ*, à reciprocis corruptelis *seroso-mucidis*, tam impedit debitum & sufficientem proventum, & concretionem, seu *combinationem* in laudabilem crasin *sanguineam*; quàm fovet, atque retinendo coacervat, etiam, *crudas*, adhuc ab ipsis assumptis suppeditatas, *serositates*: Ut itaque sub tali constitutione *colatoriorum*, & habitu ad excretoria organa, mirum potius esse deberet, si non sequeretur hujusmodi *abundantia* feri in massa sanguinea, quàm quod ita sequatur. Unde nempe simul facile dilucescere potest, unde tam *obstinata* deinde sit talis constitutio, tum in organis ipsis, ut quidem per se etiam, si semel impediuntur, multiplici atque diffusæ stipationi aptis: tum in toto latifundio humorum, qui hac dyscrasia ita obsessi, ab illa satis repurgari, per colatoriorum nervos non possunt: Interim quotidianum etiam quasi fomitem ex ipsis alimentis, quoad crudioribus partibus magis pollent, assequuntur atque adsciscunt.

XXI.

Jam si tales ataxiæ, etiam penitus in ejusmodi *etatem* incidant, quæ, uti *vegetis* & alacribus *excussionibus* excretoriis, per remittentem vigorem *activitatis* vitalis, magis magisque inertior, hoc ipso propemodum deinde etiam subeundæ mucidiori constitutioni *δυσχεήτη* humorum, quasi spontè exposita est; Facile est intelligere, cur in tali constitutione, semel concepta vera *Cachexia*, vix diu intrà hujus formæ terminos se contineat: quin potius in *Hydropem Ascitem* convertatur, & obfirmetur.

XXII.

Cæterum, non temerè proferimus ipsam hanc vocem,  
quod

quod *Cachexia* in *Ascitem* *Hydropem* *convertatur*. Sed volumus potius hoc ipso exfufcitare decentem animi adverfionem, ad magnum illud, & ubi quæfo, non dicam pro dignitate, fed folum pro veritate, fui, in confiderationem ductum Phænomenon *Practicum*, feu *Factum Clinicum*: Quod, & alii quidam, in genere verò affectus *Rheumatici* hodie dicti; & omnis generis, *Chronici* atque *Acuti*, *Exanthematici*: & hi noftri census *Cachectici*: ficut omnes atque finguli, præcipuam illam fui *diffufionem* per habitum corporis extendunt: ita fati proni atque prompti fint, ad *conversionem* illam, è *diffufione* hâc per latè patentem habitum, feu *exterio*rem ambitum corporis, ad *interiora*; tam *fpatio* extensionis fuæ, quàm receptivitate, feu capacitate internæ fuæ *texturæ*, quantumcunque porofæ, (feu meatibus, perpetuo transitui deftinatis,) nino *arctiore* inſtructis, quàm ut tantam quantitatem, ad *fercumbentium*, *fpiſſiorum* etiam inſuper, humorum, vel *receptare* poſſent, iisque locum concedere, vel fati prompto ipſorum *transitui* ſubſervire; quin potius *obruatur*, *quantitate* & *contentione*, tanti affluxus, qui tum ipſorum *meatus*, tum ſe ipſum in illis, *ſtipet* atque præpediat: adeoque certa illa, & undiquaque ingentia, damna poſt ſe trahat: A *Rheumatismis* importunioribus, ſtagnationes internas *æſtuofas*, aut actu ſtaſes *inflammatorias*: A *ſcabioſis* inquinamentis, *inflammatorio-ulcerofas*: Ab acutis contagioſis, *Gangrænoſas*; ab hujusmodi *feroſo-mucidis*, *Asciticis*. Unde quidem tanto prudentius evitare convenit, quicquid hujusmodi *conversionem*, feu repulſionem ad *interiora*, (ſine præſertim *Epicraſi* & prædiſpoſitione materiæ, certiore, & cui fidere liceat, ullâ,) ſive ſit patientis mala gubernatio, ſive inconditæ artis obturbatio, in perverſam hanc viam conjicere valeat, nedum, per imprudentiam, planè ſuſcipiat. Quale quid, ne nudis ſpeculationibus indulgere videamur, aſſeveramus, evidentiffimè omnium, non magis poſſe fieri, quàm ſolere, è præpoſtero uſu *balnearum*; tam *naturalium*, *ſulphureâ*, aut *aluminosâ adſtrictoriâ* energiâ, utrâque *repulſoriâ*, præditarum: quàm *harum* qualiumcunque, & *artificialium*, præpoſtero illo effectû, ut, dum copioſi-

us *exteriùs* restagnantes humores, insigniter *commoventur*, magis *simul & semel*, quàm tranquillis successibus; etiam spontè nihil *stabile* circa illos amplius fervet inquietata Natura. Id quod vel in *Acutis, Variolis & Morbillis*, tandem ad animum admittere incipit turba mortalium; deprehendendo, quod præter necessitatem *commotæ* harum *excretiones*, rarò placidè subsistant, & *stationem* suam debitam ad salutarem progressum atque exitum, occupent aut fervent: sed magis ad *reciprocòs* motus atque *fluctuationes*, imò certiores ad interiora *reversiones*, longè plurimum inde inclinent. Quæ certè res, merentur solertiolem, quàm per trivìa reperitur, pensitationem, nedum observationem.

XXIII.

E tali verò harum rerum indole, minùs difficile utique esse potest, agnoscere *Prognosin*, quid ab hujusmodi affectu sperare aut expectare conveniat. Ubi tamen omninò etiam, usitatissima illa hodiè *credulitas Theoretica* temperari quàm maximè debet eruditionibus *Practicis*. Sicut enim justissimè argui meretur, ἀβλεψία illa, dum seposito vero intuitu corporis constitutionis vitalis, seu corporis *ut vivi*, innumera POSSE evenire finguntur, è *materiali* constitutione: (ubi tamen summo vanitatis mortalium documento, *eminentissima*, tota *prima*, & omnino *maxima, materialis* talis potentiae ad *corruptionem*, exquisitissima propensio, nunquam adhuc scholis ad animum admissa est,) quæ nequaquam, ullà tali promptitudine, *in actum* deduci, adeoque verè FIERI SOLERÈ, *universalis* Experientia, & ita *innumeris* in contrarium exemplis, ostentat quasi magis, quàm ostendit, ut, quicquid etiam ejus *in actum* tandem deducitur, summo jure, RARO FIERI, dici mereatur; adeoque ita *universaliter* patentibus, & maximè simplicius *corporeis* causis, *omni* individuo communibus, & familiaribus, adscribi; nequaquam consentiat.

XXIV.

Hoc nempè vero atque solido respectu, sciendum omninò est, quod magna intercedat differentia, inter *Cachecticam*

constitutionem, vel *juniori* ætati, & qualitercunque de reliquo *vividiori* indoli, vel *utroque* respectu magis jam *languentibus* subjectis, objectam. Sub his considerationibus, licet reverà sic satis promptiùs atque familiariùs Cachexia obtingat, *juniori* adhuc ætati, & maximè omnium quidem in *fœminino* sexu: Tamen, cæteris paribus, ut in genere, non tam prona sit ad *obfirmationem Asciticam*, quàm quantumcunque jam *annosioribus*. Unde quidem *puellæ*, circa tempus *mensium*, imprimis diutiùs erumpere, aut liberè procedere, *tardantium*, equidem non ita valdè rarò incurrunt satis conspicua veræ Cachexiæ *initia*. Imò faciunt aliquæ etiam progressum ad ita eminentem gradum; imprimis tamen jam vigesimi anni, propiores ultra citraque ambitus, adeptæ: ut *dubios Cachexiæ*, & *Ascitis* limites facere possint: & tamen *verum* transitum in hujus ditionem, non faciant, sed *superatò cachexiæ* dominio, cum sanitate in gratiam redeant. Id, quod in *seniore* ætate ad eò contrario se habet modo, ut ibi etiam sic satis frequenter eveniat, ut potiùs citato quasi gressu mox in *Hydropem* transeat, è fonte illo, è quo *spissescencia* illa humorum scaturit, nempe *Hepatis & Glandularum*, stipatione: quàm *lentiore* tali universaliori distributione, æqualiter primùm *Cachexia*, & ex hâc demum *Hydrops*, oriatur.

XXV.

Interim illud, quod quidem nostræ tractationi prolixius inferere, nec instituti ratio postulat, nec etiam otium est, indicare tamen, atque providæ pensitationi quorumlibet, quibus est non iners otium, commendare, placet; quid causæ subesse possit, quamobrem in qualicunque adhuc frequentia *Cachexiæ*, verè *rara* tamen sint exempla, *Hydropis Anasarçæ*. Quam rem proptereà tantò digniorem consideratu æstimamus, ut quàm maximè ex hoc & similibus, exemplis, occasio sumi possit, ad minimum primo loco, animum advertenti ad *roòti*; illud ipsum, inquam, quod *actu* fit, circa dignissimam utique consideratu, tum omnium, tum imprimis certorum præ aliis, morborum *Infrequentiam*: & tum demum etiam ad co-  
gi-



gitandum, de vero *ordine* atque ratione causarum, quibus hæc *raritas* innitatur. Minimè enim certè ita quasi negligi meretur animadversio, jure ita vocamus, *neglectus* illius, toti Scholæ Medicæ communis, dum *species* numerosas variorum affectuum, & sæpe etiam sic satis prolixè, commemorant: interim scitu quàm maximè necessarium illud Phænomenon, & velut attributum, omittunt, quod plurimi similibus ita *valde raro* eveniant, ut propterea de peculiaribus hujus circumstantiæ causis, tantò justius sit dispicere, quantò alienius à sanâ ratione, quod hujusmodi *rari* eventus, *obvias* & *communes* causas habere possint. Quam, inquam, rem, pro veriore æstimatione *pathologicâ*, non modò summum, sed etiam simpliciter inevitabilem, usum, quin potius necessitatem habere, certi plane sumus.

XXVI.

Antequam autem ad *Therapiam* instruendam transitum faciamus, sub *Prognoseos* mentione placet adhuc aliqua etiam *Pathologiam* respicientia attingere. Est nempe *vera* Cachexia, in omni veritate, nequaquam ita *leve*, aut velut *evanidum*, malum, ut inde tam facilis expectari, aut sperari debeat *restitutio*. Interim, servat etiam ita *pertinaciæ* suæ *gradus* diversos, ut in *Junioribus* quidem, imprimis antè vigesimum, aut non multum suprâ, annum, tam *difficillimos*, & adhuc graviorum aliorum *successuum* compotes, *obstinatos* mores, non æquè exerat; uti contra, in jam aliquanto *annosioribus*, tantò magis autem jam *senioribus*. Qualibus certè, prioribus quidem, *Hecticam*, aut *Hydropem*; posterioribus *Hydropem* parturire satis sæpe observatur.

XXVII.

Ubi nempè prudenter secum reputare utique convenit, quod tam ejusmodi velut *universalis* depravatio *Craseos* humorum, quàm *Infarctus* meatuum per habitum corporis; magis verò, *turgida* illa Intumescencia *fibrillarum* ipsarum: maximè omnium autem *Obstipatio* interiorum *viscerum*, certè nimio *pertinaciùs* sit malum, quàm ut tam facile de-

dere possit; licet *prima* illa causa, quamobrem tam *congestiones* & *contentiones* illæ circa viscera susceptæ fuerunt, quàm hæ *oppletiones* atque *stipationes* inde formatæ, ipsam etiam illam *dyscrasiam* humorum post se traxerunt, sublata sit; nempe, in foeminis *menses*, in viris *hemorrhoides* adfuefactæ, reclusæ, & successui suo *restitutæ*: tamen apud aliquantò jam *annosiores*, sic satis familiariter *cachecticus* ille corporis habitus, hoc ipso iterum dissolvi, pertinaciter negligat atque resistat. Cujus rei rationem nec inventu, nec assensu difficilem, utique meritò reputamus; Quandoquidem, tam universæ *massæ humorum* Dyscrasia, minimè tam facillimè, in sincerè bonam crasin restituitur, tota atque universa: Nec ipsa illa imprimis, *viis* atque *fibris* penitiùs insinuata, *Intemperies humida*, ita per universum æquè corpus, atque imprimis grandius, in grandioribus, & *crescendi* (adeoque viscerum meatus adhuc *expandendi*, actui non ampliùs locum concedentibus,) undique in antiquum statum redire promptum ampliùs sit. Ubi quidem etiam breviter indicare suffecerit, quod verum Naturæ Microcosmicæ *Instrumentum*, tam tenero *intestino* motu humores attenuandi, (nempe alieniores, *spissescentes* atque *mucescentes*;) quàm ipsas etiam partes *solidas*, vividiore illâ *excalefactione*, sub sui *transitu*, ab omni excessivâ *humiditate* liberandi, propriè nullum aliud sit, quàm ipse strictè dictus *Sanguis*; nempe *rubicunda* illa substantia, actu ipso, tam à *lymphâ* adhuc nutritiâ, quàm ab universâ *seri* excrementitii colluvie, sincerissimè *diversa*. Quæ, quando ita *serosos* fluores, *sulphureâ* suâ, seu *oleaginosâ* crasi, per suæ mensuræ proportionatum prædominium, subigere iterum, & sub jugo detinere potest, tunc demum valet solidis partibus penitiùs incussam illam *intemperiem* humidam, resolvere æquè, atque discutere; imò *calore* suo, & *concalefactione* sub sui *transitu*, partes ipsas veluti *resiccare*. Quæ res proptereà considerationem tanto majorem meretur, quoniam reverà *Ordinis* ipsius, seu *Methodi Therapeutice*, veluti fundamentum

luculentissimum constituit, ac absolvit. Cæterum, de ipsa *Prognosi* hoc ita brevibus declarâsse suffecerit, quod *Cachexia*, nunquam securè negligendam, nedum contemnendam, habeat indolem: Interim neque etiam summæ difficultatis sit in *junioribus*; majoris, in *augmento* notabili ætatis; *maximæ*, in *decescente* per ætatem vigore. Ubi notandum, ut à nobis jam inde ab initio etiam indicatum, quod propè *Parallelismum* cum his *ætatum* progressibus, servet, *Temperamentum* totius, cum *Vitæ genere*, ac *Animi moribus*, fastidiosus ac desidibus societatem fervans: Tantò magis autem, si hæc cum ipsa quoque *ætate* *conspirationem* fecerit.

XXVIII.

His rebus ita accommodare licuerit *Therapeuticis* intentiones, ut ordo servetur, partim præsentia, partim dependentia, singularum harum rerum. Ubi nempe ordo quidem, præsentis jam, imprimis autem eximium gradum adeptæ, *Cachexie*, utique postulat, malè temperatorum illorum humorum, tam *correctionem*, quàm *eliminationem*. Ubi scilicet utique memori mente tenendum, quod simplex Intentio corrigendæ *craseos* illius ita malè affectæ, sine certo scopo, & seriâ prosecutione, actualis etiam *exonerationis*, *abundantis* ita omninò illorum etiam quantitatis, irritum sit cœptum: Quandoquidem qualiscunque temporaria ejusmodi colliquatio, cujuscunque portionis humorum, (cum universam massam simul & semel ad frugem reducere velle, irritæ utique foret spei,) non subsequente etiam maturo exitu, nihil nisi relapsum, sub retentione, etiam in pristinam corruptelam, expectare deberet.

XXIX.

Unde quidem, *secundò*, omninò seriùs esse debet etiam *evacuandi* scopus. Tantò commodiùs autem, nisi quidem necessariò prorsus, cum præparatorio illo, ut in certam subordinationem reducendi: Quò factæ *præparationi*, *eliminatio* ipsa mox vestigia legat, atque præstito sit. Quo intuitu nihil certè

certè usquàm rationi magis consentaneum est, quàm, *Laxativo-Diuretice*, ( sed tamen utræque sine impetu, ) *placida*, atque sæpè *repetitæ Evocationes*, vel in unâ formulâ *crasin* humorum respicientibus junctæ: Vel v. gr. *datis vesperi* talibus *corrigentibus*, proximo *manè* subjunctæ.

XXX.

*Tertium* autem locum, vendicat sibi utique etiam talis *Dietae* concinnitas, & veluti medicata *contemperatio*, atque ordinatio, ut omni modo γένεσιs boni & optimè contemperati sanguinis, aptissimæ *materiae* suppeditentur: Et *concoctioni* etiam, atque *distributioni*, quicquid unquam potest, facilitatis, concilietur. Ubi, reliquæ *Evpeptæ*, tantò magis autem difficiliori, *alimentorum* crasi, utique plurimum adhuc amplius succurrunt, *Aromata temperatiora*, tam nostratia nonnulla, quàm exotica; ubi certè pauperioribus, vel etiam aliàs non infuetis, ipsa *Raphanacea*, *Alliacea*, atque *Ceparia*; tum quibusvis *Cuminum*, *Anethum*, *Anisum*, *Fœniculum*, *Coriandrum*, *Petroselinum*, tam vulgare, quàm Macedonicum, quibusdam *Seleri* dictum, *Baccæ Juniperi*, *Lauri*, *Cortices Citri*, & extra cibos, in potibus, *Aurantiorum*: *Cichoreum* & *Endivia*, *Asparagus*, *Dracunculus esculentus*, *Piperitis*, *Nasturtia*, &c. è peregrinis, *Zingiber*, *Piper*, *Capsicum*, *Costus*, *Cardamomum*, *Caryophylli*, *Cinamomum*, *Cubebæ*, *Macis*, variis a esum usibus, quin ad potum etiam, plurimum, aut plurimum certè usu, profunt. Sicut etiam usualia aliàs *Infusa* cum vino, ad *Absynthitis* modulum, pro largiusculo potu, certè non contemnendæ sunt, ut in quotidiana diæta, utilitatis. In usum insuper vocatò, quantum usquàm possibile est factu, Motu corporis *voluntariò*: *frequentiore* tamen potius, aut *diuturniore*, utrinque tamen *moderato*, quàm, sub brevitate, *impetuosiore*, seu fortiore.

XXXI.

*Quartum* autem locum deposcit sibi, restitutio, aut ad minimum *vicaria substitutio* in supplementum, atque com-

pensatio, *exonerationum*, *consuetarum* atque *debitarum*, *sanguinearum*: Eum maximè in finem, ut *contentiones* illæ circa *Venam Portæ*, subleventur, quæ certissimum his malis, uti fundamentum primò substernunt, ita fomitem posthac præbent. Imò, testibus exemplis, ejus sunt efficaciam, ut etiam tranquillissimas jam apparentes res, repentino quodam impetu, non solùm iterum in pristinum statum conjiciant, sed etiam tùm hòc impetu, tùm summâ porrò *pertinaciâ*, tam constanter deinde sustentent, ut omnia immensum quantum *contumaciora* sentiantur, imò vix repetitæ restitutioni locus pateat. Quod nempe fieri solet in jam aliquantò imprimis animosioribus, & ubi, sive per immoderata *pellentia*, sive per *animi* gravia pathemata, fortiùs incitata *expulsoria* contentio, successum nondum assequitur. Ubi nempe imprimis simul consideranda venit circumstantia *duplex*, circa viscerum meatus. Dum videlicet illi vel nondum, aut certè non penitus omnes, satis *reserati* sunt; adeoque coortâ novâ, *impetuosâ*, congestione ac invasione, nihil nisi adhuc intimiùs atque copiosiùs, imò fortiùs *opplentur*: Vel etiam, *secundò*, licet eò usque etiam revera sic satis liberati, & ab illa oppletione expediti sint & haberi mereantur, tamen susceptam, insolito tali infirctu, *distensionem* capaciorem, nondum in firmum tonum restituerint: Unde tantò magis *patent*, & repentinis, & copiosis, & eo ipso etiam tam intimioribus, quàm fortioribus, oppletionibus, & obstipationibus *repetitis*.

XXXII.

Unde quidem sanæ Rationi omninò conformis est, intentio illa *Antiquorum*, quando per peculiaria *Roborantia*, *Hepatis* imprimis tonum ita sibi restituere tentaverunt, ut illud *repetitis* ejusmodi facilioribus invasionibus non tam expostum ampliùs esset. Unde nempe originem sine dubio traxerunt subordinationes illæ, *Specierum Diatrion Pipereon*, & *Diarrhodon Abbatis*, atque *Diatrion santalon*, interpositis interim *evacuationibus* phlegmagogis. Sicut etiam *Eupato-*  
*RIUM*

*rium* utrumque, *Hepati* peculiariter roborando, iisdem intentionibus addixerunt: Maximè quidem in ipso *Hydrope*, sed etiam non alieniore usu, aut scopo, in consummatiore *Cachexiâ*. Interim, ut in genere optandum utique esset, ut practicus successus hujusmodi destinationum, bonæ intentioni quam plurimum responderet: Ita cavendum insuper est, ne *præposterâ* aliquâ *methodiâ*, unâ cum intempestivâ fortiore *strictoriâ* efficaciâ medicamentorum conjunctâ, in locum verè *spontanei*, atque Naturæ ordini conformis, placidi *Toni*, importunior aliqua strictura tunc maximè provocata, quando nullus adhuc plenæ atque sufficientis *apertionis* effectus supponi meretur, in locum placidarum illarum naturalis *Toni* restitutionum, talem *constrictionem* inducat, quâ meatuum tenuium, *imprimis interiorum*, potius major angustia, & cujuscunque inhærentis lentoris vera *incarceratio*, succedat, adeoque malum in deterius conjiciat.

XXXIII.

Hæc quidem sunt, quæ *naturalem ordinem*, in tractandis debitis intentionibus, sequi videntur. Interim autem prudenter utique considerandus hic venit habitus, seu ordo *dignitatis*. Cujus nempe intuitu, certissimum est, quod ad summam totius negotii, nempe verè tollendam & *eradicandam Cachexiam*, omnia, quantumcunque etiam de reliquo, in suo justo *ordine*, bona atque efficacia remedia, tamen irrita plane sint, & nihil nisi temporariam aliquam, & nullam constantiam servaturam, velut interpellationem præsentis status, absolvere possint, nisi *fundamentum* illud, totum hoc malum sustentans, verè sublatum sit. Ubi nempe non juvat *Rhetoricâ* uti, ad persuadendum, quod frustra sit *profluentes* rivulos exhaurire, non suppressâ, aut cohibitionem frustrante, ipsa *scaturigine*: Sed opus potius est monere, quod jam adducta proximè animadversio locum omninò habeat *cautelæ* necessariæ certissimum: Nempe, quod, quamdiu huic scopo satisfactum non est, non tantùm nihil constans & securum ex-

pectandum sit; sed omninò periculum potiùs impendeat, etiam importunioris *novi* insultûs, & citò atque gravissimè prævalescentium ejusmodi *novorum* progressuum.

XXXIV.

Quod autem jam attinet ad Remedia nominatim, quibus quæsi illi scopi, citrà imaginarias, & passim fabulosas tratitias pollicitationes pharmacologicas, quæ deinde spem in ipsa necessitate destituunt, imò produnt non rarò, ad ipsius experientiæ lætum fructum, in verum speratum effectum deducere possint, est quidem ibi utique selectus aliquis necessarius. Cui (I) inservit illa distinctio, ut discrimen aliquod fervetur, etiam tali ipso adhuc tempore, inter subjecta, quæ sub prægressâ sanâ adhuc constitutione, magis eminentis *Sanguineæ* temperaturæ fuerunt; & talia, quæ à prima juventute, imò veluti nativitate (die weißen Kinder sind weichlich / flüßig / süchtig / philosophatur expertum vulgus,) evidentius *Phlegmaticam* corporis & humorum crasin foverunt. Cum enim *mores*, circa *Motus*, tam *Vitales*, quàm *Voluntarios* atque *Morales*, apud *Sanguineos*, quamdiu cum sanitate ipsis benè convenit, *alacres* planè sint, ad quærendos atque prosequendos bonos successus progressuum & exituum sanguinis; longè magis, quam apud *Phlegmaticos*, qui ad omnes hujusmodi res tardiores omninò sunt atque segniores: Fit apud *priores* longè faciliùs, ut per *acriora* paulò, nedum verè *importuniora*, sanguinem aliàs *turgescere* apta, loco propositæ simplicioris crasseos humorum *attenuationis* atque *resolutionis stimulatio* aliqua præmaturè expulforia oboriatur. Quæ, intempestivis *contentionibus* circà systema Venæ Portæ, atque Viscerum connexorum, potius obfirmet universum fundamentum totius mali, quàm ut illi decenter subveniat, atque succurrat. Id, quod de *calidioribus Aromaticis* in genere, & *preparatis* atque *separatis* subtilioribus partibus ex iisdem, in primis *oleis destillatis*, benè notari meretur.

Quæcunque verò citra hujusmodi *intemperantiam*, *tenuiores* humores subtilius *incidere*, atque ad *excretiones* debitas ita prædisponere, valent, illa habent hic usum omninò genuinum. Ita tamen, ut etiam *acriora* illa, de quibus modò aliquid monitum est, modò non in formis atque formulis nimium activis, seu *concentratis*, aut nimis *prodigâ* manu, exhibendæ, locum suum omninò tueantur, in totâ constitutione *serosioribus*. Laudamus autem, certioris efficacix nomine, Radices *Ari*, *Taraxaci*, *Cichorei arvensis amari*, & *Squillam*: *Acriuscula*, Radicem *Imperatorix*, *Helenii*, *Angelicæ*: *Temperatam* valde, sed *tenuium partium* ad penetrandum, *Pimpinellæ albæ*: *Vincetoxici* quoque: *Mediocrem*, *Petasitidis*, & *Bardanæ*. Ex *herbis* equidem, tam multas nominare non attinet, habent tamen usum suum *Antiscorbuticæ* dictæ *amariores*; quantò tamen magis tales, tantò moderatiore, in singulas imprimis doses, usu. Ex his ipsis etiam *Fumaria*, non tam in alia formula, quàm in *Infuso* aut *Extracto*. *Centaureum minus*, primis quidem viis non malè conducit, humoribus autem ipsis tantoperè non succurrit, ut propterea tanquàm superstitiosus ejusmodi usus, qualem vulgus passim illi tribuit, inde expectari mereatur. De *lenioribus* autem *aromaticâ* efficaciâ proficuis, jam paulò ante dictum.

XXXVI.

*Evacuantiâ*, licet secundum Veterum mentem ita *electivè* agere, aut *trahere*, neque nos ipsi tueri gestiamus; est tamen prudenti Therapevtæ etiam cavendum, ne inanibus *Logomachiis* usui rerum vero temerè detrahatur, isque adeo, quod ajunt, ad nihilum recidat. Cum certè otiosum multoties sit, à Medico Therapevtico scopo penitus alienum, disputare, *quomodo* (nempe physico aut plane mechanico more atque modo) remedium aliquod operationes suas exerceat; dum modo, *an* certò, & sub quibus *conditionibus* atque *circumstantiis* *practicè* observandis, hoc ipsum præstet? satis constet



& perspectum sit. Unde quidem prudentiùs omni modo egerunt periti aliqui Practici, quando, ut solùm rei ipsius veritatem conservarent, qualescunque agendi atque fiendi modos & modulos produxerunt; dum nempe vel unius humoris præ altero, in *crasi* suâ alterationem: vel *viarum*, atque excretoriarum partium, uni humori præ aliis dicatarum, peculiarem *stimulationem* præ aliis partibus à certo tali medicamento, allegarunt: utrinque, si non probatâ ad amissim, nequaquam tamen etiam prorsus improbabili, aut incredibili, ratione. Quibus curis rectè illud egerunt, ut locum suum vindicarent ipsis hujusmodi medicamentis, eorumque ad ejusmodi certos casus *selectui*; præ aliis, tanquam magis *indifferentem* usum, aut ad præsentem intentionem certè non pari efficaciam aptum, exhibentibus. Unde quidem revera non ita simpliciter imaginaria est illa Prærogativa, quam aliquibus ejusmodi remediis assignarunt, sub nomine *Phlegmatis* aut *Pituitæ* expurgatoriorum. Inter quæ tam nostras *Cataputia*, & *Agaricus*, quàm peregrina *Falappa*, effectus non contemnendos præstant. Sociata quin etiam cum illis, quasi magis promiscuam colluviem educantibus, ut imprimis *Foliis Sennæ*. Licet etiam, justo loco atque tempore additus stimulus *Colocynthiacus*, & cum decente moderamine, ad altiùs eliciendum non contemnendus sit; Dummodo prudens administratio & subordinatio cum præparationibus idoneis, neglecta non fuerit. Imò, quàmvis importunior sit *Sambucus*, cum discretione tamen subjectorum, nec ipsius quidem Radices, nedum mitioris *Ebuli*, præsertim ut Evporista nostratia, planè negligi, aut contemni merentur. Possunt autem huc etiam referri, quæ jam olim Differt. de *Hydrope Ascite*, circa *evacuationes*, earumque necessarias *subordinationes* cum correctione per *Epicrasin*, laudata fuerunt.

XXXVII.

Cæterum, ad scopum *revocandarum* excretionum sanguinearum, quarum exitu destituta *contentio*, & originem & fo-

fomitē *Cachexiæ* suppeditare, non magis potest, quàm solet; Imò has ipsas etiā *contentiones* præoccupandas, ceu *vicario* quodam, & *supplementi* rationem aliquam habente, Usu, merentur omninò laudem suam *Ventilationes* sanguinis *artificiales*. Sed postulant revera etiā, rectissimè consideratam, & benè ordinatæ *Rationi* conformem, juxta *Ordinis*, & quam jam verbo innuimus, *Opportunitatis*, æstimationem, ut secundum illam præcipuè instruantur. Ubi nempè quàm maximè quidem omninò convenit, ut *subtractiones*, (*successivæ* atque *moderatæ* etiā ipsæ,) abundantioris *serositatis* præcesserint; Imò etiā tam abundantiori ejus proventui, quàm totius *sanguinis*, nimis *vappidæ* illi veluti generationi, quoad ejus fieri potest, occurratur. Interim tamen cavenda etiā tanto magis ducantur, ejusmodi medicamenta, quæ quoquo modo *contentiones* illas immaturas etiā incitare, & velut expergefacerē valeant. Quo tandem, & prædisposito ita humorum ipsorum temperamento, & aliis etiā ipsorum *Temporum* momentis opportunioribus expectatis, tantò felicius absolvi possit, illa, mediantibus sanguinis etiā *Emissionibus*, imprimis circā *Inferioria*, tam *Sublevatio*, quàm *Revocatio* atque *Exsuscitatio*, spontanearum illarum *Excretionum*: imprimis ab hujusmodi veluti *vicario* levamine, tantò tranquilliores *conatus* posthac formaturarum: Cavendo omnibus modis, ne prævalidâ adhuc *prædominantis* serositatis intemperie, *Sanguinis* ut talis, quæcunque effatu digna jactura obtingat, nedum ita veluti consultò inducatur. Unde verè prudens *Instructio tempestarum* subordinationum, secundum respectus partim ad *præparationem*, & *exonerationem*, jam depravati & insuper abundantis, *Seri*: partim ad *laudabilis floridioris Sanguinis*, tam *deurationem* talem, quàm *Instaurationem* atque novam *præparationem*: Et denique *præoccupandas* novas *contentiones*, circā hujus tempestarum *Ventilationem*, imprimis *adsvesfactam*: maximè necessaria

hic est, & verum Objectum, *Artificiose*, nempe cum *rectâ ratione effectivâ*, Medicæ Gubernationis.

XXXVIII.

Satis autem certi sumus, abundè fore præcocium iudiciorum, quæ vitio nobis vertere ausint, quod dominantis *Ferreo-terrei* postremi Ævi, Leges atque Privilegia, quæ suis Elementis impertitur, ita velut adspernari, & nisi quidem planè nullo, tamen postremo quasi loco habere, non vereamur. Puto intellectum iri, quod partim *Terrea, Absorbentia*, partim *Ferrea, Aperientia*, innuamus. Quanquam autem simpliciter & absolutè, omnem usum Absorbentium *Terreorum*, IN *Cachexiâ*, non rejiciamus aut damnemus; tamen AD *Cachexiam* certè rejicimus. Licet enim ad *accidentales* aliquas, fed non ita familiares huic constitutioni *Ataxias primæ Coctionis*, (imò, per appetitus lenocinium, in *abusum* fortè tractorum *acidiorum* assumptorum, subsidiariam *tempestivam* correctionem,) hujusmodi *Absorbentia*, moderatis dosibus exhibita, censuram non mereantur: Aliter tamen res se habet circa usum eorundem, admodum *frequentem, largum*, & imprimis nullo prudente *Selectu*, institutum: sub quo, & imprimis hoc postremo, ad *tenaciorem* reddendam feri dylcrasiam, certissimam habent efficaciam. Unde sanè, & imprimis, quod nullam usquam veram utilem efficaciam, tanquam *positivè* polliceantur, (siquidem liquatio spissi feri, per *aciditatis* coagulantis subtractionem, nullum ultrà extravagantes speculationes, locum habent,) ut otiosa, in his affectibus, *Absorbentia* adspernamur. De *Martialibus* autem cum jam alibi pluribus sententiam suam professus sit D. D. Præses, quod certò plus *adstringendo*, quàm usquam verè *aperiendo*, agant; hujusmodi autem efficacia, ut *directè* ad nostrum affectum, irrita fit, imò noxia: Est proinde etiam sine dubio justissimus locus, imprimis *abusum* illum usitatum, è falso *aperitivæ* efficaciam elogio introductum, dissuadendi. Siquidem, quod quidem etiam aliàs de *Martialibus* valet, sine certâ *Subordinatione*

*tus corporis*, quantum unquam vires sinunt, in subsidium vocati, etiam *damnis* potius inducendis apta sunt: Quod autem *robustioribus*, plebejis, Operariis, Rusticis, melius conducere subinde videantur, nulla alia certiore ratione, quàm hâc unâ nititur, quod talia subjecta *Motus Voluntarii*, necessariis potius, quàm fortè solum utilibus, subsidiis, plus ita ipsa sibi consulant, quàm hæc Medicamenta perficiant. *Uusus* autem, quem habere possunt, nititur *duobus* quasi fulcris; nempe primò, *Opportunitate* temporis; quæ sita est in tali ejus *subordinatione*, ut potius *ultimo* loco, saltim ad *Tonum* iterum roborandum, adhibeatur, quàm ad *primarum* adhuc intentionum, sive *resolutivas* humorum, sive *aperitivas* viarum, destinationes. Unde etiam, ad prædictum scopum fortasse consultata apparens ejusdem saltem *Interpositio*, certè sine circumspecto judicio temerè suscipi minimè meretur, aut certè neque *copiosè* adhiberi, neque *diu* continuari. Medicamenta etiam ipsa, absint *crudiora* præparata; qualibus non immeritò, nuda quoque Ferri substantia præferenda est: Sed potius cum *secretione* crassioris, & potioris certè, importunè *adstringentis*, substantiæ ejusdem facta: Inter quæ nominamus primo loco, Crocum illum è *scoriis Reguli* separatum, in peculiari schediasmate descriptum: & solutione per Tartarum communem, paratum: Vel peculiari etiam Enchirisi, in illa tenui substantiâ, singulari modo augmentatum; nempe per lixivium Alcalicum dissoluto ferro; cui quadantenus, magis tamen antedicto illi, (quantum ad verum fundamentum præparationis,) etiam proximè respondet, rectè paratus, etiam nomine hoc *Cachectici Croci* vulgò notus *Quercetani*. A quò tamen hic, de quo nobis est sermo, etiam differt in eò, quod iste quidem à *Quercetano* laudatus, in caustico illo *Alcali Nitri*, *violaceo* illo colore dissolvatur, sed non diu ipsi Alcali adhæreat, quin *spontè* ex illo præcipitetur: juxtà D. D. Præsidis autem Enchirisin, totus Mars, in *Oleo Tartari per deliquium*, etiam ita in frigido, velut in momento, dissolutus, ru-

borem planè *sanguineum* exhibeat: Interim ex hac solutione, sine interventu *acidi* alicujus, nunquam secedat aut decidat: *levissimo* tamen etiam tali, ut ipsi *Urinæ*, nedum *Aceto*, obsequatur.

XXXIX.

Non autem temerè mentionem modo fecimus insignis utilitatis, quam *Cachecticis* etiam exhibere magnoperè possit ipse *Motus Voluntarius Corporis*. Ubi, sicuti nimia *desidia*, non solum ad *fovendum*, sed planè ad *gignendum* spissorem sanguinis habitum, & inertiores *Attenuationes*, *Secretiones*, & *Excretiones* humorum, plurimum omninò *Energix* habet; Ita obvium utique esse potest sanæ *Rationi*, quod contraria ejus ordinatio atque administratio, omninò etiam contrario eventui velificatura sit. Id quod confirmat etiam quotidiana *Observatio*; non injuriâ dixerimus, nullum, certè rarissimum, *Cachexiæ* proventum inter *Fæminas* ipsas, nedum *Viros*, ejus *Indolis* atque *Vitæ* rationis, offerens, qui *operosioribus* corporis motibus uti consueverunt, aut planè, quoad usquam possibile est, & vires non absolute repugnant, illis etiam infudare verè necesse habent: adeoque *Desidiæ* illi, quam aliàs solennia his affectibus *fastidia*, faciliùs suadent, in suum ulterius damnum indulgere non possunt. Unde etiam hoc tam pro *circuitu*, & progressiva *Attenuatione* humorum, quàm pro *dispulsione* inertium *stagnationum*, quin denique meliore successu ipsarum *Secretionum* & *Excretionum*, efficacius subsidium, tolerabilis, & *longioris* æquè atque *frequentioris* *Motus*, ita *Cachecticis* etiam *positivè* injungendum potius, quàm simpliciter, & magis indifferenter *suadendum*, commendamus. Et quidem prudentissimè æstimatis, & quoad ejus fieri potest, non temerè auditis, excusationibus *Virium* imparium, aut *fatigationis* insuperabilis, quibus *fastidiosam* illam inertiam obumbrare, admodum familiariter affectant. Quemadmodum etiam, eodem intuitu, *Fatigatio* vera, quæ post *primam* fortè aut *secundam*, imprimis ita præmaturè paulo im-

mode

*moderatiorē* motionem succedit, non terrere debet, ut propterea mox etiam *legitimus* usus, & tanta *utilitas*, quæ è iusto usu *Motus* expectari potest, mox deferatur.

XL.

Reliqua vero etiam univēsa DIÆTA, uti placidæ *calido-humidæ* temperiei conservandæ atque restaurandæ, quoquo modo accommodari debet; quorsum etiam *Vini*, sed moderatus tamen & benè ordinatus, imprimis insvetus: *Ardentium* autem *spirituum*, planè verè Medicus, Usus referendus est: Ita & ab excessibus *Calorum*, imprimis *repentinis*, & ab *Animi* importunioribus *commotionibus*, tantò magis cavendum est, quod, cum talia *inequales* humorum commotiones impellant, quæ impeditioribus jam successibus, inevitabilia augmenta conciliant, omnia hinc pejora metuenda veniant, quod meritò vitandum. Tandem EXCRETIONUM spontanearum, tantò minus negligentes esse, cordi habebunt nostri censûs Patientes, postquam etiam arte subveniendum illis hac in parte esse, recordabuntur.

His rectè observatis, benè consultum erit *Cachexiæ* sanationi. Ita tamen, ut consiliis atque auxiliis, absolutè necessaria non desit *Divina Benedictio*. Quod nunquam fiet, si & ipsi Patientes, & Medicinam facientes, eandem in auxilium suum decenter implorabunt. Cui nos quoque, nos ipsos, & omnia nostra, humillimè commendamus.

SOLI DEO GLORIA.

Virtutes laudare Tuas, laudesque politis  
Decantare modis, Tua nec moderatio suf-  
fert;

Nec mihi tot vires doctus concessit Apollo:  
Adde, quod & Spatium fit longè angustius illis,  
Sic ergo, cum sola mihi ferè vota supersint,  
Vota Tuo jungam Lauro: Det summus Jo-  
vah!

Ut sua virtutem commendent præmia dignam,  
Compensetque Tuas fortuna secunda labores.

*In memoriam mutuae consuetudinis atque  
amicitiæ addidit*

D. C. A. Rot. Fr.



**N**imm Hochgeschätzter Freund/ die schlecht ge-  
setzte Zeilen

Von eines Freundes Hand - mit holden Blit-  
zen an/

Die Liebe will sie dir aus einer Brust erthellen/

Die bey des Freundes Glück nicht stille schweigen  
kan.

Die Musen rühmen dich und dein galantes We-  
sen/

Apollo ist dir hold / Minerva hält dich werth/

Weil Du in ihrer Flur die Weißheits - Frucht ge-  
lesen/

Der Künste Honigseim aus ihrer Brust begehrt.

Fri-

Fridriciana kendet die vielen Tugend-Proben/  
Des Geistes Munterkeit und deinen stillen Fleiß;  
Drum hat sie dich auch jetzt gekröhnet und erhoben/  
Sie schencket dir nach Wunsch den schönsten Ehren-  
Preis.

Hygea muß dein Haupt mit reinen Purpur be-  
decken/

Dein Haupt/ das Kunst und Wiß und süße Weiß-  
heit schmückt/

Sie muß an deine Hand das Gold der Ehren ste-  
cken/

So wirst Du wiederum nach saurer Müß er-  
quicket!

Darum ergöße dich bey wohlverdienten Ehren/

Heb auf das frohe Haupt/ ermuntre deine Brust/  
Das saure ist vorbei/ weil Glück und Ruh sich meh-  
ren/

Der Weißheit Capital trägt Dir nun Ehr und  
Lust.

Das werthe Rotenburg erwartet dein mit Freuden/  
Das ein so werthes Pfand in seine Mauern  
erlegt/

Die Kranken wollen sich an dir als Engel weiden;  
Der Himmel lege stets / was deine Brust ver-  
gnügt!

Zu Bezeugung seiner Observanz  
setzte dieses

H. E. Albrecht.

Nobi-



**N**obilis assiduas maneat quod palma labores,  
Monstras exemplo, suavis Amice, tuo:  
Namque tuis studiis cum nocte dieque vacaris,  
Hinc ornat frontem laurea sacra tuam.  
Ast ego quid? sperata tuis mea gaudia jungens  
Opto: det Numen fata secunda tibi.

*Hoc in perpetuum observantiae & memoriae  
monumentum, Nobilissimo ac Praestantis-  
simo Domino Candidato, Amico suo inter  
paucos charo, letabundus apposuit*

**Phil. Car. Donauer.**  
LL. Cultor,

